



**Ethica Amoris, Sive Theologia Sanctorum, Magni
Præsertim Augustini, Et Thomæ Aquinatis**

Circa Universam Amoris & Morum Doctrinam, Adversus Novitias Opiniones
Strenuè propugnata, Et In Materiis Principaliter Hodie Controversis
Fundamentaliter discussa

De Generalibus Principiis Amoris Et Morum - Prolegomena septem,
Librosque undecim complectens

Henricus, de Sancto Ignatio

Leodii, 1709

Caput VI. Decretum Sanctissimi Domini Nostri Innocentii XI. quo Amadæi
Guimenii Liber, cui titulus: Adversus quorundam expostulationes, contra
nonnullas Jesuitarum opiniones morales, &c. sub ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73187](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73187)

abstulit materna Ecclesiæ clementia, nec videtur reducenda, nisi sic Ecclesiæ Romanæ videretur.

- 42 Hactenus Facultatis Lovaniensis doctrina Apostolica Sedi ad examen oblata, post distributumque examen, nulla in parte notata. Quam hic referre placuit, ut omnibus compertum sit, illius in toto vel in parte defensores, damnatae vel notatae ab Ecclesia doctrinae reos non esse, nec ut tales absque injuria prævaricationeque præcepti S. D. N. Innocentii XI. traduci posse. Nec solam illam doctrinam iidem Deputati Apostolice examini subjecerunt, sed & doctrinam de Gratia contentam libro, cui titulus: *Censura Facultatis Lovaniensis, &c.* post cujus trimestre examen, jussu S. Sedis institutum, Assessor S. Officii Deputatis dixit, *doctrinam eo libro contentam sine offensa S. Sedis teneri, docerique posse*, prout iidem Deputati reduces testati sunt, oblato ad testimonii veritatem juramento. Verumque esse testimonium ipsorum argumentis irrefragabilibus demonstrat Augustinus le Blanc S. Theologiæ Doctor in Historia Congregationum de auxiliis l. 1. c. 9. 10. 11. & 12. Nec certè credibile est, nullum iudicium, post trimestre illud examen, subsecutum esse. Vel ergo post illud exiti immunis à censura, prohibitioneque, vel non? si primum, hoc est quod intenditur. Si secundum, ubi censura, ubi prohibitio, post examen illud subsecuta? Nullam producant vel producere possunt adversarii, qui certissimè producerent, & cum strepitu insultationeque de more producerent, si talis censura existeret. Quo enim cum strepitu Alexandri VIII. Decretum in propositiones xxxi. non produxerunt?

C A P U T V I.

Decretum Sanctissimi Domini Nostri Innocentii XI. quo Amadæi Guimenii Liber, cui titulus: Adversus quorundam expostulationes, contra nonnullas Jesuitarum opiniones Morales, &c. sub excommunicationis pena interdicitur, & flammis aboleri iubetur, velut continens doctrinam non sanam, perniciosam, animarum infestivam, & in aeterna salutis detrimentum adductivam.

- 43 Innocentius Papa XI. Ad perpetuam rei memoriam. Cum, sicut accepimus, Liber quidam, cui titulus: Adversus quorundam expostulationes, contra nonnullas Jesuitarum opiniones Morales, Authore Amadæo Guimeno, &c. Bambergæ & Panormi anno 1657. & subinde Valentia, Lugduni, & Madrii anno 1664. additis nonnullis opinionibus non sanis, sub alio titulo, videlicet: Amadæi Guimenii Lomariensis, olim Primarii S. Theologiæ Professoris Opusculum, singularia universa ferè Theologiæ Moralis complectens, adversus quorundam expostulationes contra nonnullas Jesuitarum opiniones Morales, typis recusus: non solum 5. Aprilis 1666. à Congregatione tunc existentium S. R. E. Cardinalium, Indici librorum

prohibitorum & expurgandorum præposita; sed etiam die 12. Septembris 1675. à Congregatione ejusdem S. R. E. Cardinalium, in tota Republica Christiana, contra hæreticam pravitatem Generalium Inquisitorum, à Sede Apostolica specialiter deputatorum, iteratò prohibitus fuerit. Et nihilominus nonnulli, propriæ salutis immemores, librum eundem legere & retinere, damnabili lectione, usu, & praxi præsumant. Nos, cujus gregis sui curam commisit Altissimus, periculis animarum, quæ ex usu & praxi perniciose doctrinae dicto libro tradita, infici, & in aeternæ salutis detrimentum adduci possent, Pastoralis charitate occurrere cupientes, motu proprio, & ex certa scientia, & maturatione deliberatione nostris, deque Apostolica potestatis plenitudine, librum prædictum, sub utroque supra expresso tenore, aliove quocumque titulo, nomine, & idiomate, sive in prædictis, sive in aliis quibusvis locis hæctenus typis impressum, ac etiam manu descriptum, & quandocumque (quod absit) imprimendum & describendum, tenore præsentium damnamus, reprobamus, & denuò prohibemus, ac pro damnato, reprobo & prohibito haberi volumus, illiusque impressionem, descriptionem, lectionem, retentionem & usum, omnibus & singulis Christi fidelibus, etiam specificè & individuè mentione & expressione dignis, sub pœna excommunicationis per contrafacientes, ipso facto, absque alia declaratione incurrenda, à qua nemo à quoquam, præterquam à nobis, seu Romano Pontifice, pro tempore existente, nisi in articulo mortis, absolutionis beneficium valeat obtinere, omninò interdicimus. Porro quicumque librum hujuscemodi penes se habuerint, illum statim atque præsentium notitia ad eos pervenerit, locorum Ordinariis, vel hæreticæ pravitatis Inquisitoribus, tradere atque consignare teneantur. Hi verò exemplaria sibi tradita illicò flammis aboleri curent, &c. Datum Romæ apud sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die 17. Septembris 1680. Pontificatus nostri anno quarto. Hactenus Innocentius XI. Cui malè quidam Recentior (de numero eorum, qui sola ea Decreta Apostolica præiudiciis suis consentanea reverenter suscipiunt) opponit Alexandrum VII. quasi ipse in reprobatione censuræ Parisiensis declaraverit propositiones Amadæi Guimenii esse regulas actionum moralium, gravissimorum Scriptorum auctoritate, perpetuoque Catholicorum usu probatas, quas Innocentius ad flammam damnavit, tamquam pestilentès & perniciosas. Si quidem Alexander id potiùs narrativè quam ultimò definitivè declaravit, uti constat ex adjecta clausula, quæ ulterius de iis examen sibi, ac S. Sedi Apostolicæ reservavit. Deinde solum declaravit, ex illo libro, & alio Jacobi Vernantii perperam à Parisiensibus censuratas esse propositiones aliquas; non verò negavit fuisse in eodem Amadæi libro alias propositiones merito censurabiles, quarum aliquas ipse etiam postea censuravit.